



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. SS. Eucharistiæ quanta vis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Psal. 77. 19.

neque iam ex illorum volunt numero esse, de quibus dicitur:  
*Et malè locuti sunt de Deo, & dixerunt: Numquid poterit Deus pa-*  
**S. Bonavent.** *rare mensam in deserto? Quæ diffidentia, teste Bonaventura, vel*  
*in Apolog.* *ab infidelitate oritur, qualis est eorum, qui res humanas, vel sal-*  
*Pauperum,* *tem suas, non credunt à Deo curari, vel nascitur à pusillanimi-*  
*tate, cui scribit, annexam esse remissionem amoris diuini, pro-*  
*prijsque amoris intensionem. Proprius enim amor, quia cæcos*  
*facit, non sinit eos videre diuinam prouidentiam. quare ipse sibi*  
*solicitus, & quodammodo sibi quidam Deus esse vult. Amor au-*  
*tem Dei, fudit Deo, quem amat. Ut enim diffidentia inter inimi-*  
*cios, ita inter amicos fiducia locum obtinet. Amor non suspica-*  
*tur: odia in tetricas ebulliunt cogitationes; ipsosque è dilec-*  
*tione ortos affectus, insidias, aut vindictas amarissimas arbitran-*  
*tur. Qui autem Dei amicus est, scit eum ex pumice aquam, è nu-*  
*be panem posse elicere. Itaque, si in maxima necessitate homines*  
*desint, sperat vel Angelos sibi adfuturos.*

## C A P V T   V I.

*Diuinae prouidentiae, circa corporalem escam, è SS. Eucha-*  
*ristie institutione, & ipsius Famis fructibus*  
*agnitio.*

I.

Sapi. 16. 29.

**G**A T, inquieris, hodie talia miracula nulla fieri, neque enim  
cadere panes de cælo, aut coturnices esurientibus in os  
inuolare, aut Angelos passim se præbere conspiciendos,  
qui nobis afferant è Paradiso alimenta; neque miracula tam ma-  
gna quotidie fiunt. Immò longè fiunt maiorā. Nam in primis  
miraculum miraculorum est in Eucharistia. In illa enim est panis  
Angelorum, qui de cælo descendit, panis paratissimus, panis sine  
labore præstitus, omne delectamentum habens, & saporis suau-  
itatē, de quo verè dici potest: *Substantia tua, dulcedinem tuam,*  
*quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens uniuscuiusque voluntati,*  
*ad quod quisq; volebat, conuertebatur. Vult quis fidem exercere? ecce*  
*Deum velatum, sub speciebus panis. Vult in spem assurgere? ecce*  
*anchoram; ecce medicinam ærorum; ecce fortitudinem cibi;*  
*Vult in charitatem efferuescere? ecce dilectum, præ amore, in*  
*cor*

cor tuum ingredi cupientem. Quod umquam manna tantarum virium, & tantæ fuit suavitatis? Quam multos hic panis sustentauit? Nullo alio, nisi isto vixit Nicolaus Heluetius, alijque, de quibus suprà, spiritali certè vita, per huius panis sumptionem, plerique spirituales vixerunt, inque naturam Angelicam, immò diuinam transferunt. Ita enim, apud D. Augustinum, nos alloquitur Christus: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tua, sed tu mutaberis in me.* Et S. Leo: *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus.* Utque tancò maior nobis fiducia corporis à DEO alendi, de ipso cibo spirituali procurato accedat, ait S. Cyprianus: *Sacramentorum communicatio per quam illius corporis sinceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut ... mundo, & de diabolo, & de nobis ipsis victoria potiamur;* & *Sacramentali gustu vinificis mysterijs inherentes una caro;* & *vnius spiritus simus, Christi.* dicente Apostolo: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est. Sic hi, ad quos sermo fit, dicuntur Dij, & filij excelsi nominis, & hereditatis aeternæ participes.*

Quid ergo? natura quorundam est eiusmodi, ut si quotidie regias dapes haberent, tamen manerent lignei & macilenti. Alij verò vel olere vescentes pingues sunt, & roborantur, vt tribus pueris accidit, quorum vultus de leguminibus meliores erant, quam aliorum, de phasianis ac regijs dapibus. Ita quibusdam contingit, vt licet sæpiissimè carne Christi vescantur, numquam tamē fiat fide, spe, charitate fortiores, aut in alijs virtutib⁹ perfectiores. Et tamen quoties quis dignè communicat, toties ei gratia diuina additur, augmentumque charitatis. Cur ergo, alijs adeò proficientibus, tam multi subsistunt, immò tempore corporalis famis, fide & fiducia decrescunt? Nempe vt Eremita, alibi à nobis memoratus, superbia, negligentia, tepiditate, impuritate meruit, panem sibi paulatim minui, dulcedine priuari, tandemq, omnino subduci: ita quidam cogitant, dum sæpius communicant; *Ego plus alijs facio; Ego sum Deo coniunctior: Ego dignus hoc pane, dignus hoc epulo, dignus Christi familiaritate, &c.* & non cogitant se pane quotidiano indignos. Hoc maximè quibusdam sacerdotibus contingit; qui cùm ad primitias ac primum sacrum se summo ar-

## II.

Tom. I. de  
Iudicijs Dei,  
cap. 18, §. 5.